

lia, tum flores, deniq; fructus progignit, sic poma omnia, sic Pruna, sic Persica, & hujusmodi cætera nascuntur, quæ apud Sinas quoque, in magna reperiuntur copia. Apud Indos autem & Sinas Australes quædam Arbores amplissimis folijs refertæ, in trunco flores, atque etiam sine floribus fructus germinant, sæpe unicum, interdum duos, adeò magnos, ut deferendis singulis, homines singuli pene sint necessarij, à Lusitanis Giaka, ob pungentes spinas, à Sinis Po-lo-nie vocatur. Sunt nonnullæ Arbores, quæ nullos ramos habent, sed tantum aliquot folia in vertice, & pone illa ex ipso trunco flores, atque ex illis circumcirca Melonum marcimorum ad instar, protrudunt dulcissimos fructus, sicut Pa-paya. Aliquæ per integrum truncum, sine folijs, ex floribus fructus ovalis figuræ, atque si essent parvuli Pepones, progignunt, uti Brinhões. Est quoddam arbustum, intra sex mensium intervallum, ex quinque vel septem foliorum (quæ totum hominem cooperire possunt) medio, unicum & solum producens ramum, qui mille sæpenu-mero oblongos fructus sine folijs defert, quo abscto, neque ramum alium, neque fructum progignere potest: ideoq; arbustum necessariò succidendum ne officiat similibus plantis quas simul comproducit. Vidi in Hay-nan Sinarum Insula, & Provincia quam-tum, Arborem maximam latissimis folijs conspicuam, sine floribus & sine fructu, media radi-ce hærentem telluri firmissimè, sed reliquæ ejusdem radicis partes, & flores & fructus simul productos habebant; ficibus Europæis in figura, sapore, & colore, nisi quod tantillum maturi rubescerent, prorsus persimiles, vocabuli non recordor, plurimum admiratus fui, in illo opposito nobis mundo oppositum modum fructificandi reperiri, antidotum profectò arbor illa propterea meretur appellari. Nascitur etiam in Indijs arbor Ka-giu, nomine, quæ bis in unius Anni duplici æstate producit fructum, pomum Euro-pæum flavum aut rubrum in figura imitatur, extra ordinarium hoc habet, quod nullum semen, aut nucleum interius, sed extra in Capite fructus gignat, qui elixus Castaneam nucem & amigdalina sapit. Sanè non solum ex ramis arborum sed ex trunco, sed ex ipsa radice sine folijs & floribus Deus voluit progenerari fructus, ut omnia illius voluntati & sapientissimo ordini subesse mortales intelligerent, illumq; supra Leges nature, universorum esse Dominum cogitarent; si igitur specie & pulchritudine fructuum delectamur, speciosiore ac pulchriorem illorum Creatorem considerare debemus; si suavitatem, odorem, & proportionem admiramur, suavissimus & formosissimus longè existit ille, qui fecit; si varietatem, magnitudinem, & copiam suspicimus, Opifex creaturæ opulentissimus & ditissimus est; à magnitudine & specie Creaturarum cognoscibiliter videri Creator potest, inquit Sapientia cap. 13. Cæterum modus arbores propagandi tam apud Indos, quàm apud Sinas triplex est. Primus per seminum defossionem; solent Sinarum Hortulani aurea poma, quibus nullibi creduntur esse præstantiora (quod eo-